

Doc. 27

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Doc. 27

[1263 circa?]

In amaritudinis salo degentibus Crissius de Fulgineo salutem et eterne dulcedinem civitatis.

2

Dolor est scribendi materia et scriptori prebet anxietas actramentum: non enim bene possunt terrena gaudere cum celestia contristantur, neque tellus potest tantum esse sub tenebris cum supra celestibus solis deficit claritudo. Profecto sol nuper est aureus obscuratus, splendore cuius universe stelle posite in firmamento sapientie relucebant. Corpus egregium sub terra reconditur, cuius anima nobilis suo submictebat ingenio syderum summitates. Guillelmus, ille doctor eximius natus de Luna, sub luna velut luna defecit, sed utinam resurgeret quasi luna. Sane dies rapiens tantum virum de terra viventium, dies angustie, dies plena doloribus et lamentis dies autem satura ferienda gravi aut trenis ululanda tristisonis Ieremie.

Ecce qui motus stellarum in arismetice numerabat, moriendo diminuit numerum sapientum. Ecce qui mensurabat orbem terrarum theurematibus geometrie, nunc in vilis terre tumulo mensuratur. Ecce qui proportionem sonorum dulcisonum formabat virtute musice melodiam, cunctos militantes sub sapientie studio, defectu suo, coegit ad gemitus et lamenta. Ecce qui ductu rationis volitabat in astra, nunc sub telluris glebula sepelitur.

Plorate itaque, celi, desuper et terra misera congemiscat. Insonet dolentis aeris terremotus et gemat circulus orizontis. Plora, plora, societas planetarum, quia medius Cfr. il doc. 23; inoltre, Guillelmus de Conchis, *Glossae super Boetium* cit., I, 3, p. 72.

vestrum iam subiacet umbre terre, qui vos illuminabat ad plenum, cuius sapientie speculo natura vestra fiebat mortalibus manifesta.

Iudicate, habitantes Samariam, et attendatis, incole Babilonis, quid potuit sapientia tanti viri nisi prenoscere diem mortis, qui decernens in quarto die infirmitatis sue coniunctionem solis et lune, que coniunctio combustio dicitur, combustionem vite sue quasi divino presagio prophetavit. In coniunctione vero Martis et Lune, a Marte mortis, pro dolor, est devictus. Nimirum, cum supereminet dies mortis, periit omnis consilii claritudo. Est enim illud impossibile consiliabile fieri quod necessarium comprobatur. Non igitur fortis in fortitudine sua, non pulcher in pulchritudine sua, non sapiens in sapientia, gloriatur cognoscere Deum vivum, cui nullus moritur, sed moriendo mictitur in melius, de tenebris transit ad lucem et de labore doloris ad requiem sempiternam.

Quem genuit Luna, qui quadruvialis et una
 clara fuit luna, thoros est huic terrea cuna.
 Sol fuit iste soli, patuit cui celica soli
 ars, flent astra poli desuntque lumina soli.
 Gloria linguarum Guillelmus erat variarum,
 hoc mare quod rarum felix transivit inanum.
 Hic en translator erat optimus enucleator,
 clarus plantator morum, virtutis amator.
 Qui coluit celos, nunc sub tellure quiescit,
 cuius ab ore melos fluxit, dare famina nescit.
 Doctor quadruvii, variis dotate loquelis,
 hic, Guillelme, iaces, translator mente fidelis.

3

4

5

6

7

8

Il termine è da intendersi nel senso di *atramentum*, ovvero inchiostro.

Cfr. il doc. 25.

Forse l'espressione *sub luna* sarebbe da emendare in *sub terra*: cfr. Delle Donne, *Guglielmo de Luna* cit., p. 229 nota 17.

La frase presenta alcuni problemi editoriali: cfr. *ibid.*, p. 229 nota 18.

La parola presenta difficoltà interpretative. Su alcune proposte di correzione (*in annum, ignarum, irarum, Icarium*), cfr. *ibid.*, p. 231, nota 27.

Il primo di questi versi è registrato da Walther, *Initia carminum* cit., n. 15346a. Sulla struttura di questi esametri leonini cfr. Delle Donne, *Guglielmo de Luna* cit., pp. 230-231 nota 29.